

INSTITUTIONES  
THEOLOGICÆ

AUCTORITATE  
D. D. ARCHIEPISCOPI  
LUGDUNENSIS  
Ad usum Scholæ in  
1784

TOMUS QUINTUS



LUGDUNENSIS  
M. DCC. LXXXIV



INSTITUTIONES  
THEOLOGICÆ.

TRACTATUS  
DE SACRAMENTO  
ORDINIS.

ORDINIS nomen hic accipimus pro actione quâ Ministris Ecclesiæ accensetur aliquis, & quæ propriè dicitur *Ordinatio*. Definiri autem solet, *Sacramentum novæ legis, quo specialis potestas & gratia confertur ad obeunda munia ecclesiastica*. Cujus definitionis genus est, *Sacramentum novæ legis*; differentia verò in aliis verbis sita est; siquidem *Ordinatio* à ceteris *Sacramentis* in eo discrepat, quòd specialem potestatem & gratiam conferat, ad functiones ecclesiasticas ritè exercendas.

Si quis objiciat definitionem hanc ceteris infra  
Tom. V. A



Diaconatum Ordinibus non convenire, qui juxta probabilem multorum opinionem, Sacramentis non sunt annumerandi, respondebimus moris esse, ut nomina analogæ ex nobiliori & potissimâ parte desiniantur. Si tamen definitionem generalem desideres, quæ ad singulos Ordines pertineat, in promptu erit ista: *Ordo est ritus sacer, quo traditur potestas quasdam Ecclesiæ functiones obeundi.* Cùm in Sacerdotibus consecrandis præcipuum locum semper habuerit manuum impositio, inde factum est ut Veteres Ordinationi nomen *impositionis manuum* indiderint.

Hujusce Tractatus septem erunt capita: in 1<sup>o</sup>. inquiremus utrùm Ordo verum sit novæ legis Sacramentum; in 2<sup>o</sup>. quis sit Ordinum numerus; in 3<sup>o</sup>. de singulis speciatis; in 4<sup>o</sup>. de sacræ Ordinationis Ministro; in 5<sup>o</sup>. de illius subjecto, & conditionibus ad eam suscipiendam requisitis; in 6<sup>o</sup>. de Ordinationis effectibus; in 7<sup>o</sup>. de cælibatu sacris Ordinibus annexo dicturi sumus.

## CAPUT PRIMUM.

*Utrùm Ordo verum sit novæ legis Sacramentum.*

**I**LLUD Religionis Christianæ dogma non semel aggressi sunt recentiores Hæretici: *Hoc Sacramentum*; ait Lutherus, *Ecclesia Christi ignorat, inventamque est ab Ecclesia Papæ.* ( *Lib. de captiv. Babyl. tom. 2. pag. 84. edit. Witttemberg.* ) Ad impugnandum autem illud Sacramentum, non eum impulit veritatis amor, sed impotens in Romanum Pontificem furor, ut satis ipse his verbis indicat: *Nisi fallor, si ruat hoc Sacramentum &*

*commentum aliquandò, vix subsistet ipse Papatus.* ( *Ibid. pag. 86.* )

Calvinus etiam Ordinem ex Sacramentorum albo censeretur expungere, cùm duo tantùm Sacramenta, sicut & Lutherani, recenseat, Baptismum nempe & Eucharistiam; sibi tamen parùm constans, *Superest*, inquit, *impositio manuum, quam in veris legitimisque Ordinationibus Sacramentum esse concedo.* ( *Lib. 4. institut. cap. 19. n. 31.* )

### PROPOSITIO.

*Ordinatio, saltem aliqua, verum est novæ legis Sacramentum.*

Probatur 1<sup>o</sup>. ex Scriptura. Ad verum novæ legis Sacramentum tria requiruntur & abundè sufficiunt, fatentibus ipsis Novatoribus, scilicet ritus exterior & sensibilis, vix gratiæ conferendæ, & divina institutio: atqui, teste Scriptura, tres illæ conditiones in sacra Ordinatione reperiuntur.

1<sup>o</sup>. Quidem est ritus exterior ac sensibilis, cùm adjunctas habeat manuum impositionem & orationem. De septem enim primis Diaconis sic loquitur Autor sacer: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* ( *Act. 6. 6.* ) Pariter de Ordinatione Pauli & Barnabæ legitur: *Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos Apostoli.* ( *Ibid. cap. 13. 3.* )

2<sup>o</sup>. Vim habet gratiæ conferendæ: Nam Discipulum suum sic monet Apostolus: *Noli negligere gratiam... quæ data est tibi... cum impositione manuum Presbyterii.* ( *Tim. 4. 14.* ) *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* ( *2. Tim. 1. 6.* )

3<sup>o</sup>. Ordinatio est divinitus instituta: sic enim narrat Lucas: *Dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam... Tunc imponentes eis manus, dimiserunt illos Apostoli;* ( *Act. 13. v. 2. 3.* )



quæ verba divinam mandatum sonant, divinamque institutionem. An pariter humanum quid sapiunt ista alia? *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* ( *Ibid. cap. 20. v. 28.* ) Præterea solius Dei est signis sensibilibus gratiam illigare: atqui ex modo prolatis Scripturæ testimoniis, Ordinationi sive manuum impositioni illigata est gratia; Ordinationi igitur nihil horum deest, quæ ad constituendum veri nominis Sacramentum necessaria sunt; ergo, &c.

Prob. 2<sup>o</sup>. ex Patribus. S. Augustinus sic retundit Donatistas, qui Baptismum quidem per hæresim non extinguunt, sed baptizandi facultatem Sacramentali Ordinationi annexam prorsus auferri contendebant: *Ipsi explicent quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum Ordinati possit amitti... Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & istud amittitur? neutri Sacramento injuria facienda est.* ( *Lib. 2. contra Parmenian. cap. 13. n. 30. t. 9. pag. 45.* ) Itaque, iudice Augustino, Ordinatio non minus propriè Sacramentum est, quàm Baptismus: atqui Baptismus, fatentibus Pseudo-Reformatis, verum proprièque dictum novæ legis Sacramentum est; ergo & Ordinatio.

S. Leo præcipit ut sacra Ordinatio jejuniis & ieiunantibus conferatur, ... ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. ( *Epist. II. cap. 1. tom. 1. pag. 436. edit. Quesnel.* ) Idem Doctor, post exposita vitia quæ in sacras Ordinationes irreperant: *Quis ergo, inquit, dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam?* ( *Ibid. pag. 401.* )

S. Thomas: *Constat, inquit, Ordinem esse Sacramentum.* ( *In 4. dist. 24. quæst. 1. art. 1. quæstione. 3.* ) Atqui præfati illi Patres Ordinationem Sacramentum disertè appellant; non igitur novum, sed à Patribus acceptum dogma confirmat

Synodus Tridentina, quando sic pronuntiat: *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, ... anathema sit.* ( *Sess. 23. de Ordine, can. 3.* )

Dixi autem in propositione, *Ordinatio saltem aliqua*; infra enim expendemus an singuli Ordines totidem sint Sacramenta.

Solvuntur objecta.

*De verbo hęc. Nov. 21 1823*

Objicies 1<sup>o</sup>. Christus manuum impositionem non usurpavit, cum Apostolos fecit Sacerdotes; neque enim ritum illum adhibuit, sive in suprema cœna, quando iis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ( *Luc. 22. 19.* ) sive cum peccata dimittendi potestatem ipsis contulit his verbis: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, &c.* ( *Joan. 20. v. 22. 23.* ) Ergo manuum impositio in qua maximè sita est Ordinatio, non fuit à Christo instituta, nec proinde est novæ legis Sacramentum.

Resp. 1<sup>o</sup>. Transeat antecedens, quia probari non potest manuum impositionem à Christo non fuisse adhibitam; id quidem non ait Scriptura: at certè neque etiam negat; aliundè verò certum est multa à Christo facta esse, quæ scripta non fuerunt.

Resp. 2<sup>o</sup>. Neg. conseq. Quamvis enim Christus supremus gratiæ suæ dominus & arbiter, nullique signis alligatus, Apostolos sine manuum impositione fecisset Sacerdotes, potuit tamen statuere ut deinceps sine illo ritu non consecrarentur; sic, licèt Christus mulieri peccatrici scelerum veniam, & Apostolis gratiam roboris in die Pentecostes absque Sacramento concesserit, non ideò tamen voluit ut postea sine Sacramento peccatores absolventur, & Christiani gratiam confirmantem reciperent: manuum autem impositionem quæ consecratur Ecclesiæ Ministri, à Christo re-



verà fuisse institutam inde patet, quòd ex Scripturis & Traditione compertum habeamus, huic manuum impositioni insitam esse gratiæ conferendæ virtutem; quod solus Deus potuit efficere.

Obj. 2<sup>o</sup>. Manuum impositio erat communis quædam ceremonia quâ Judæorum more passim utebantur Apostoli, v. g. quando morbos curabant, juxta illud Marci: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt*: ( *Cap. 16. 18.* ) Atqui hujusmodi ceremonia non potest esse ritus Sacramentalis; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Inde enim hoc unum sequitur, scilicet non omnem manuum impositionem, tum à Christo, tum ab Apostolis usurpatam, verum fuisse Sacramentum; quod ultrò confitemur; sed quia Judæi & Apostoli manuum impositionem frequenter adhibuerunt, perperam inde concluditur eam quâ consecrantur Ministri, verum non esse Sacramentum. Nonne vulgares & frequentissimæ apud Judæos erant ablutiones? Nonne ceremoniam hanc sæpè sapiùs usurpârunt Apostoli? Atqui tamen ablutionem baptismalem pro verò Sacramento habent adversarii, quia scilicet ipsi divinitus insita est gratiæ conferendæ virtus: atqui eandem efficaciam vindicat Scriptura manuum impositioni, quâ instituuntur Ecclesiæ Ministri; ergo pariter eam Sacramentis annumerare necesse est.

Obj. 3<sup>o</sup>. Ille tantum ritus dici potest sacramentalis, qui recipienti gratiam sanctificantem confert, quæ communis est omnium Sacramentorum effectus: atqui impositio manuum de quâ agitur, gratiam sanctificantem non confert, sed eam duntaxat quæ ad aliorum salutem datur, & dici solet *gratia gratis data*. Sic enim Timotheum hortatur Apostolus: *Noli negligere gratiam quæ... data est tibi per prophetiam*, ( sive ut plures volunt, in prophetiam ) *cum impositione manuum Presbyterii*. ( *1. Tim. 4. 14.* ) Prophetia autem est gratia tantum gratis data; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Apostolus enim eundem Discipulum sic alloquitur: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum*: ( *2. Tim. 1. 6.* ) ut autem quænam sit hæc gratia explicet, statim subjungit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis*: atqui nemo dixerit spiritum dilectionis non esse nisi gratiam gratis datam, quæ etiam in impiis reperiri potest.

Nec quidquam nocent hæc verba: *Quæ data est tibi per prophetiam*: nam licet eo sensu intelligerentur, quòd per manuum impositionem Timotheo concessum fuerit prophetiæ donum, quid inde? An propterea excluderetur gratia sanctificans, sive potius illius incrementum? Minimè quidem: utraque enim gratia rectè simul consistere potest; sed longè magis genuina est eorum interpretatio, qui hunc locum sic exponunt, *quæ data est tibi per prophetiam*; id est, juxta revelationem mihi factam, quâ didici fore ut, licet juvenis, episcopali munere ritè fungereris: sensus ille optimè cohæret cum iis Apostoli verbis ad eundem Timotheum: *Hoc præceptum commendo tibi, secundum præcedentes in te prophetias*, ( id est, revelationes de te factas ) *ut milites in illis bonam militiam*. ( *1. Tim. 1. 18.* )

---

## C A P U T I I.

### Quis sit Ordinum numerus.

CÆVINUS contendit tres ad summum esse veros Ordines, Episcoporum scilicet, Presbyterorum & Diaconorum. ( *Lib. 4. instit. cap. 19.* ) In Ecclesia Latina septem numerantur, de quibus sic



differit Concilium Tridentinum: *Non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis Sacrae Litterae apertam mentionem faciunt: ... ab ipso Ecclesiae initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistae, Lectoris & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu.* ( *Sess. 23. de Ordine, cap. 2.* ) Quibus verbis septem Ordines ita admittit Synodus Tridentina, ut eorum sententiam non damnauerit, qui plures agnoverunt, ne litem Scholasticam dirimat: sunt enim Theologi Catholici qui docent Episcopatum esse Ordinem Ecclesiasticum; nonnulli etiam addunt Tonsuram clericalem.

Septem Ordines quos memorat sancta Synodus, jam antiquitus in Ecclesia Latina constitutos esse, ex Veterum monumentis constat. Medio enim saeculo III, Cornelius Papa testatur eâ ætate Romæ fuisse Presbyteros 44, Diaconos 7, totidemque Subdiaconos, Acolythos 42, Exorcistas & Lectores cum Ostiariis 52. ( *Apud Euseb. Lib. 6. Histor. Eccl. c. 43. pag. 244.* ) In Concilio etiam Carthaginensi IV an. 398, sigillatim recensentur præfati Ordines; eorumque officia, & ritus quo conferri solebant, describuntur. ( *Tom. 2. Concil. p. 1199 & 1200.* )

Apud Græcos multis abhinc sæculis quatuor tantum esse Ordines, nimirum Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi & Lectoris, ex ipsorum Euchologiiis apertum est. Dixi autem, multis abhinc sæculis; utrum enim plures olim Ordines in Ecclesia Græca fuerint, disputant Theologi; fatentur quidem eadem ministeria, quibus in Ecclesia Latina funguntur Ostiarii, Exorcistae & Acolythi, apud Græcos olim extitisse, ac etiamnum exerceri; sed ambigitur utrum eadem hæc officia fuerint veri nominis Ordines, id est, per veram proprièque dictam Ordinationem collata. Qua de controversia videas Carolum Witasse, *Tom. 1. de Sacram. Ord. & Hyacinthum Drouin. Tom. 2.*

*de re sacram.* Ex septem ordinibus supra recensitis, qui in Ecclesia Latina jam à prioribus sæculis vigent, tres sunt qui dicuntur *maiores & sacri*, scilicet Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, quia propius ad Eucharistiam accedunt, quæ primarius est omnium Ordinum finis; quatuor autem alii propter rationem oppositam appellari solent *minores*.

---

### C A P U T   I I I .

#### *De singulis speciatim Ordinibus.*

**D**E singulis Ordinibus breviter dicturi sumus, à minoribus ad majores progrediendo; sed prius aliquid delibandum ex Tonsura quæ Ordinibus præmitti solet.

---

### A R T I C U L U S   P R I M U S .

#### *De Tonsura.*

Quæres 1<sup>o</sup>. quomodo definiatur Tonsura, & quænam dotes ad eam sint afferendæ.

Resp. 1<sup>o</sup>. Tonsura sacra est ceremonia, quæ Laicum à vita seculari segregat, Cleroque adscribit, & ab Ecclesia fuit instituta. Dicitur 1<sup>o</sup>. *ceremonia*, ritus scilicet in capillorum recisione & orationibus adjunctis consistens; 2<sup>o</sup>. *sacra*, quia ad Dei gloriam ejusque cultum promovendum solemniter in Ecclesia celebratur; 3<sup>o</sup>. *quæ Laicum à vita seculari segregat, Cleroque adscribit*; per Tonsuram enim Laicus totum se Deo devovet,